

Crepis spathulata Guss.¹⁾ (*Barkhausia* spath. Spreng.) secundum specimina authentica a cel. Todaro missa et descriptionem in Guss. Syn. Fl. Sec. II, p. 412 nostræ hic descriptæ arcte quidem affinis est, sed differentiae plantæ Siculae (folia radicalia numerosa oblanceolata, acutiuscula, sensim, nec abrupto in petiolum laminâ breviorē transeuntia, fol. caulina paucissima, sessilia v. semiamplectentia, non auriculata, „ramis approximatis“, anthodii squamae pilis brevibus albis subhirtæ) tanti tamen momenti esse videntur, ut cum planta Hispanica conjungi nequeat. Rationibus geographicis suspicari licet, plantam a Bourgaeo in monte Picacho de Alcalá lectam et in Prodr. Fl. Hisp. 2, p. 247 nomine *C. spathulatae* Spr. a Willkommio descriptam nec non *Crepides* in flora Gadit. a Willk. lectas et l. c. in not. dubitanter ad *C. spath.* relatas, ad *C. Boeticam* nostram quoque referenda esse, et tunc *C. spathulata* Guss. e flora Hispanica esset delenda. Folia a Willkommio pinnatifida, lobis lanceolatis, sinuato-incisis describuntur, quod in nostrum non quadrat, de radice vero descriptio nihil indicat. Ulterius igitur pl. Winkleriana tam cum Bourgaena quam cum speciminibus Siculis pl. Gussoneanae comparari debet, antequam quaestio de eorum identitate dissolvi potest. Observandum est, *C. spathulatam* teste Gussoneo esse perennem, equidem specimina ad Algeciras lecta quoque perennia dixissem, nisi cl. Winkler in schedula expresse observavisset, plantam suam, ita ut in Prodr. fl. Hisp. l. c. indicatur, esse biennem.

7. *Crepis* (*Barkhausia*) *Hackelii* Lge. Biennis v. perennis, radice crasso perpendiculari, superne vaginis emarcidis tecto; foliis omnibus rosulato-congestis, in petiolum alatum breviter angustatis, runcinato- et lyrato-pinnatifidis, segmento terminali triangulari-hastato, utrinque et imprimis subtus secus nervum dorsalem dense hirsutis; caule abbreviato (in speciminibus, quae vidi

¹⁾ Nomen *Crepidis* *spathulatae* primo a Gussoneo 1821 (Catalog. hort. Boccadifalco) datum est, quod Sprengel 1826 (Syst. veg.) in genus *Barkhausiae* transposuit, quare immerito nomen Sprengelii ut speciei auctoris ponitur, praecipue si *Crepis*, nec *Barkhausia* inscribitur,

1—2-pollicari)¹⁾ a basi inde divaricato-ramoso, ramis inf. cauli subaequilongis, cum pedunculis breviter cano-puberulis, singulis folio minuto lanceolato v. lineari-subulato fultis, superne haud squamigeris; calathio juniore subgloboso, erecto, fructifero cylindrico, dense breviter albo-tomentoso, squamis periclinii linearibus, obtusis, calyculi subtriplo brevioribus, ovato-lanceolatis, obtusis, adpressis, anguste membranaceo-marginatis, apice sphacelatis; ligulis saturate luteis, dorso rubro-striatis, stylis luteis; achaeniis omnibus longe rostratis, c. 10-striatis, rostro filiformi, pappo niveo coronatis.

In rupibus calcareis prope oppidum Orihuela florigeram et fructibus vix maturis praeditam die 24 Marti 1876 legit cl. E. Hackel.

Huic affinis *C. taraxacifolia* Thuill. (DC., Gren. et Godr. (non Willd), *C. polymorpha* Pourr., *C. taurinensis* Willd.) praeter caulem typice elatum et foliatum bene distinguitur a nostra calathiis subduplo minoribus, foliolis calyculi latioribus et latius scarioso-marginatis, demum laxiusculis, patentibus, stylo fusco! *C. taraxacoides* (Desf.?) Guss.²⁾ (*C. hiemalis* Biv.) ex descriptione Gussonei (Syn. Fl. Sic. II, p. 410) plantae Hackelianae arcte affinis videtur, hujusque tempus florendi (Martio) bene cum plantae siculae („hieme et primo vere“) congruit. Specimina vero authentica a cel. Todaro benevole communicata (Palermo, in arvis ubique) caule magis evoluto (¹/₂—²/₁-pedali) et foliato, foliis glabris, ramis glabriusculis, calyculi squamis ovatis, latius albomarginatis, laxe patulis a nostra recedunt, et

¹⁾ Sec. cl. Hackel in litt. saepius pluricaulis, caulibus adscendentibus, ¹/₂—2 decimetr. longis, caespitem largam formantibus.

²⁾ *C. taraxacoides* Desf. (*C. taraxacifolia* Willd. sec. DC. Prodr.) mihi ignota est, et ex brevi descriptione vix recognoscenda; an ideo cum homonymo Gussonei identica sit, nescio. Haec vero cum *C. taraxacifolia* Thuill. non confundenda (DC. (Prodr. VII, p. 155) immo hasce 2 species in 2 diversas sectiones posuit). Tam ob homonymiam (*C. taraxacifolia* Willd. et Thuill. differentes species significant) quam ob nominis nimiam similitudinem cum *C. taraxacoides* Desf. nomen *C. taraxacifoliae* optimo jure videtur rejiciendum, et inter plura synonyma *C. taurinensis* Willd. forsitan eligendum.

figura Reichenbachiana (*Lagosoris taraxacoides* Ic. crit. I, 29, si ceterum huc spectat), etiam cum nostra minime convenit; quare hanc bene distinctam censeo. Reliquae vero species sectionis *Barkhausiae*, quas comparavi vel descriptas vidi, adhuc magis differunt, quare nomine novo specifico hanc designavi.

8. *Crepis* (*Barkhausia*) *foetida* var. *subintegrifolia* Lge. Differt a typo speciei foliis inferioribus spathulatis, obtusis, parco sinuato-dentatis, caulinis pluribus, obovato-lanceolatis, inferioribus in petiolum latum basi hastato-auriculatum angustatis, superioribus amplexicaulibus, omnibus remote dentatis (neque pinnatifidis). Reliqua ut in *C. foetida*, quare, non obstante habitu peculiari, ejusdem vix nisi varietatem singularem sistere censui.

In dumetis ad Churriana fl. Malacitana die 22 Maj 1873 legit cl. R. Fritze.

9. *Leontodon* (*Millina*) *Nevadensis* Lge. Perennis, pedalis v. ultra; foliis rosulatis, anguste et elongato-lanceolatis, in petiolum alatum decurrentibus, glabriusculis v. parcissime pilosis, remote sinuato-dentatis; scapo adscendente, semel v. bis dichotomo ramoso, ramis arcuato-adscendentibus, basi folio minuto subulato et sub calathio squamis 2 parvulis adpressis fultis, superne incrassatis; calathio minuto, cylindrico-campanulato, periclinii squamis viridibus, exterioribus anguste, interioribus late albomarginatis, nervo dorsali hispidis; ligulis luteis concoloribus; stylis luteis; achaeniis pallide stramineo-fuscis, breviter rostratis (rostro c. $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{4}$ achaenii longitudine), infra rostrum leviter transverse rugosis, pappi sordide albi radiis c. 10, plumosis, basi dilatatis, caducis.

In montibus Nevadensibus (loco speciali non indicato) Sept. 1873 legit cl. Manuel Jimenez. Specimina communicavit cl. Winkler, qui pauca ejusdem specimina ad fontes fl. Dilar 1876 quoque legit.

A proxime affini *L. carpetano* Lge. (descr. ic. illustr. p. 16, tab. 26, 1) differt foliis magis remote et minus profunde incis, scapis ramosis, calathiis subduplo minoribus, ligulis concoloribus